

longus, & unum pedem latus, cum inscriptione quam quicumque legerit, paulo post moriturum imperitum vulgus circumvicinum credulo errore dicitur; viderit ergo lector, si hoc audeat, nam certo sciat se moriturum.

Domus  
aeternalis.

Dictiones illas posteriores *Aeternali in domo* lego, sepulchra enim eo seculo **AETERNALES DOMVS** dictae erant. Inter *Margan* autem & *Kinfeage* juxta viam jacet saxum IIII pedes longum, cum hac inscriptione:

P V N P e I V S  
C A R A N T O P I V S .

Quam ut mihi reverendissimus Episcopus Landavenfis, qui has mihi describendas curavit, Cambro-Britanni addendo & immutando ita legunt & interpretantur. **PIM BIS AN CAR ANTOPIVS**, id est, *Quinque digiti amicorum, vel proximorum nos interemerunt*. Credunt esse sepulchrum Morgani Principis, à quo regio fit denominata, qui occisus, ut volunt, anno octingentesimo ante Christum natum, sed has literarum formulas recentioris esse aevi norunt Antiquarii.

Nidum.  
Neath.

*A Margan* procurrit littus in Circium per *Aberavon* tenuem mercatum ad *Avonam* fl. ostium unde nomen, ad Nidum fl. vivo sabulo infame, cui ejusdem nominis vetustaeque memoriae oppidum Antonini Itinerario **NIDVM** dictum adsidet. Quod cum *Fitz-Haimo* hanc regionem sui juris fecit, in sortitione Richardo *Granvillo* obtigit, qui cœnobio sub ipso oppido fundato, & Deo, monachisque portione sua consecrata, ad suum ipsius in Anglia patrimonium, quod amplissimum habuit, reversus est.

Loghor.

Gower.

Post *Nidum* fl. quicquid ad *Loghor* flumen, qui ab Occasu hujus agri limes est, jacet, nobis *Gower* dicitur, Britannis & *Ninnio Guthir*, in qua, ut inquit ille, *fili Keiani Scoti se dilataverunt*, donec à *Cuneda* Britanno regulo fuerint exturbati. Regnante Henrico Primo Henricus Comes Warwicensis hanc in suam potestatem redegit, sed transactione postea inter Thomam Comitem Warwici & Regem Henricum Secundum in regium patrimonium devenit. Rex autem Ioannes donavit Guilielmo de *Breos* per *servitium unius Militis pro omni servitio*, ejusque posterii tenuerunt ad Edwardi Secundi tempora. Tunc enim Gui-

Th. Wal-  
sing.

Liber  
Monast.  
Neth.  
5. Regis  
Ioan.

lielmus de *Breos* cum multis hanc hæreditatem addixisset, & demum cæteris illudens in Regis gratiam Hugoni *Spenser* in manus tradidisset, in causa fuit (inter alia) cur proceres in *Spenser* exitiali odio exarserint, & Regis auctoritatem temere projecerint. Hæc nunc in Orientalem & Occidentalem dividitur. In Orientali *Sweinsey* præcellit, oppidum à porcis marinis ita Anglis dictum, Britannis *Aber-taw*, à *Taw* præfluente, quod Henricus ille Warwicensis Comes munivit. Verum hoc multo vetustius est ad *Loghor* fluvium, quod Antoninus **LEV CARVM**, & nos integro nomine *Loghor* appellamus. Vbi sub mortem Henrici Primi, *Howell Ap Meredic* ex improviso cum suis montanis, Anglis superfusus melioris notæ plures oppressit. *Gower* Occidentalis huic subjacet, & insinuante utrinque freto fit Chersonessus, frugibus magis quam oppidis prædicanda, & *Kinedo* in divos relato quondam celebris, qui solitariam hic vitam egit, de quo si plura velis, *Capgravi* nostrum consulas, qui ejus miracula pleno ore celebravit.

Sinsey.

Leuca-  
rum.  
Loghor.

Ab ipsa hujus provinciæ expugnatione Domini fuerunt à *Fitz-Haimone* recta linea descendentes Glocestriæ Comites, Clari, & *Spenseri*, inde *Bellocampi* & *Nevillus* unus & alter, & per *Nevilli* filiam è *Spenseri* oriundam *Richardus Tertius* Angliæ Rex, quo interfecto, Henricus VII hujus agri hæreditatem crevit, *Gasparique* *Bedfordiæ* Duci patruo suo concessit, quo sine prole defuncto, ad se univsum jus Rex revocavit, & filio *Henrico Octavo* reliquit, cujus filius *Edwardus Sextus* maximam ejus partem *Guilielmo Herbert*, quem *Penbrochiæ* Comitem, & *Baronem de Caerdiff* creatat, venundedit. Ex equitum autem XII sobole solummodo supersunt in hoc agro *Stradlingi* multis imaginibus clari, *Tubervilli*, *Flemingorumque* nonnulli, quorum præcipuus habitat ad *Flemingston*, nunc corrupte *Flemston*, quod ab illis, quasi *Flemingorum* oppidum, nomen accepit. In Anglia vero supersunt *Baro S. Iohn de Bletso*, *Granvilli* in agro *Devonienfi*, & *Sewardi*, ut audio, in agro *Somerfettenfi*, Reliquorum mascula proles jam olim defecit, hæreditasque eorum varie per fœminas est distracta.

Glamor-  
ganiæ Do-  
mini.

Parœcia 118.

Britannia.

M m m m

D I M E-